



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. XIII. Eruuntur ad familiam, habitum, victum pertinentia. Servi, colonorum instar, habiti Germano. Cujus in Chaucide deprehendunt indicia moderationis. Liti. Cur liti, colonive, mancipiorum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

ἢ αὐτῶ σημεῖα ἄλλοι ἄλλα. Κελτοὶ σέβασσι ἢ Δία ἀγαλμα
 ἢ Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς. Id est, Inter barbaros
 similiter, qui Deum non agnoscat, nemo est: alii
 tamen alia ei statuunt signa. Celtæ Iovem colunt:
 Iovis autem simulacrum apud eos est alta quercus.
 Quò referendum est illud, de triumphata Ger-
 mania, Claudiani, in primo de laudibus Stili-
 conis:

— & robor, numinis instar

Barbarici, nostra feriant impune bipennes.

Sanctivam arborem succedentis ævi ruricola
 vocabat. Vnde lex à Luitprando lata, Longo-
 bardorum rege: *Qui ad arborem, quam rustici
 Sanctivam vocant, adoraverit, vel incantationem
 fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro
 palatio.* Et observatæ quercus in nostris diu re-
 fulsère monumenta moribus. Confectæ ad
 annum M C C X L V I I I. de Advocatia
 Braemstede tabulæ sic finiunt: *Actum juxta
 castrum Haghen, prope quercum, vulgariter Staleke
 nuncupatam.*

C A P. XIII.

*Eruantur ad familiam, habitum, victum pertinentia
 Servi, colonorum instar, habitus Germano. Cujus in
 Chaucide deprehendunt indicia moderationis. Liti. Cur
 liti, colonive, mancipiorum aliquando nomine debone-
 stentur. Viri proprii. Barbaries eorum, qui servituti
 naufragos addixère. Recentioribus, ante quinque secula,
 cognita*

cognita Caucis. Sed incognita vetustis. Cauci pellibus amicti. Quas in castris quoque Germanici gestavere. Cauci cirrigeri. Corymbiorum aestimatores. Emendatus Douſa Petronius. Famem Caucus obvia dape profligabat. Quam venatio mediterraneo praebebat, uti piscatio maritimo. Lintres. Coriacea Saxonum navigia. Plinii, Cauci victum miserantis, ampulla. Devincendorum durities invisit Romano. Artes Agricola, Britannos ad enervem invitantis elegantiam. Vera rerum amissa vocabula. Nihil miserum, quod in naturam consuetudo perduxit.

DEhinc alia quaedam Cauci persequi libet instituta. Offert se verò nobis institutorum divisio in ea, quae familiam, quae habitum, quae victum spectant. Pars ultima familiae servi sunt, animata domus instrumenta: sed minus majoribus nostris habita contemtim, neque Romanum in morem descriptis per familiam adnota ministeriis. Tacitus: *Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit, & servus haec tenet paret.* Spirant in Cauco vivuntque tam liberae, prope dixerim, jura servitutis. Obstrictus enim plurimus est agricola, ad frumenti modum, aut pecoris, singulis hero praestandum annis: sed obstrictus, quem permessa vomeribus obstrinxit ad talia munera tellus. Ita non ipse, sed terra, qualemcunque servit haud ingrata servitatem. Liti sunt appellati,

pellati, litæque, tempore quod recentiore à
 vetusta disparat ætatem. Ottho rex in privile-
 gio, ad A. D C C C C L X X V I I I. *Donamus et-
 iam ad hæc præfato Archiepiscopo (Adaldago Bre-
 menfi) interventu Bernhardi ducis quædam nostri
 juris mancipia, litam videlicet Thietfuiden dictam,
 cum filiis ejus & filiabus omnique progenie, quæ
 ex his per successura tempora fuerit procreata. No-
 stri, inquit, juris mancipia. Nam litos istos, præ-
 fertim si cuncta progenies flagitorem patere-
 tur herum, nemo mancipiorum inficiabitur
 affricum fuisse nomen, qui, præter hoc Ot-
 thonis III. Henrici IV. Cæsaris, & Leonis IV.
 Papæ, aliorumque privilegia consuluerit, anti-
 stitibus indulta Bremanis. In iis enim frequen-
 tia reperio *sexus utriusque mancipia*. Adde se-
 culi vitium, in addicta sibi pactis aut precio
 corpora rigidioris, cujus ne nunc quidem ob-
 liviscitur ex toto vicinia nostra rigoris. Hinc,
 qui operam Saxoniam navare describendæ, sta-
 tus in ea meminere servilis. Witechindus lib. I.
*Gens Saxonica triforimi genere ac lege, præter con-
 ditionem servilem, dividitur. Servos ipsos tertium
 genus Nithardus fecit. Histor. lib. IV. de Sa-
 xonibus scribens: Quæ gens omnis tribus ordini-
 bus divisa consistit. Sunt enim inter illos, qui Edlin-
 gi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi illorum lin-
 guâ dicuntur. Latinâ verò linguâ hoc sunt, nobi-
 les,**

les, ingenui atque serviles. Sunt enim Lassi, variante temporum gentiumque loquela, Liti. Diploma Liemari: *Aderant alii quamplures ex liberis hominibus. Et mox: super reliquias nostras cum chirotheca, sicut mos est liberis Saxonibus, tradidit in Asanthorp curtim. Dicebantur & viri proprii, sicut etiam nunc in Westfalis epygenmannen. Lex Adalberonis, ad A. MCXLIII. Fœmina, quamvis libera, si alicujus viro proprio, nisi Ecclesiæ nupserit, quia se quoque servituti obnoxiam fecit, viro suo adhareat, & prædium Ecclesiæ relinquatur. Asperum dictu, memoriâque horrendum est, quod ætatis mediæ leges historiæque patefaciunt, naufragos non bona modò cetera, littoribus impacta rapacibus, sed inæstimabile quoque bonum perdidisse, libertatem. Adeone efferari mortales, an fortem oblivisci potuisse mortalitatis, ut cum ira barbari colluctatos elementi, ac beneficio terræ matris elapsos, magis ipsi barbari, ac supra fidem atroces, in novam sustinerent abyssum præcipitare calamitatis? Tam injusta quis unquam admissa credat aut exercita jura? Exercuere, præter alios, & quidem in illustribus exercuere personis ætate media nostri. Bremensium Archiepiscoporum Historia: *Friderici avia & mater de Anglia navigantes, in Comitatu Stadensi naufragium passæ sunt:**

sunt: & secundum prisci juris rigorem tam homines quàm res regia ditioni sunt mancipati. Suggestit ergo Dux Friderico, Bremensi Archiepiscopo, ut ipse Comitem Fridericum Ecclesie suae mancipium evincere satageret. In Bremensis quippe Ecclesie Comitatu avia & mater sua, praetextu naufragii, servituti sunt addicta. At non vetus ille, gloria nostra, Caucas talia Neptuno subductis, & terrae suae illisis, intentavit, ut ex Ann. II. liquet: etiamsi multus fixisset in ipso prope tuguria mari. Et quantò sanctiùs eae leges, quae & bona miseris, & spiritum permittendo liberum, nec avaritiae suorum frena, nec crudelitati laxavere. Quod enim jus habet fiscus verba sunt Constantini Lib. I. (Cod. de naufr. l. XII.) in aliena calamitate, ut in re tam luctuosa compendium sectetur? Adjice L. ne quid D. de incendio, ruina, naufragio. Quod habitum, atque corporis cultum concernit, *δὲ πρῶτο φόρο* exstitere cum cetero Germano Cauci. Tacitus: Gerunt & ferarum pelles, proximi ripae negligenter, posteriores exquisitiùs, ut quibus nullus per commercia usus. Ferarum velantur exuviis, inquit, tam qui proxima nobis, quàm qui colunt interiora: sed hi curatiùs adornatis, utpote quibus omnis in pelliceo decor, ignoto, cum commerciis, elegantiore luxu: isti, sine cura deproperatis, quos usu poliorum ac consuetudine domitos, exoticorum splen-

splendor indumentorum atque varietas adfici-
 cit. Hinc ilicò subnectit, ultiores eligere fe-
 ras, & detracta velamina spargere maculis,
 pellibúsque belluarum, quas exterior Ocea-
 nus, atque ignotum mare gignit. Idem Taci-
 tus Annal. II. de Germanico: *Nocte cœpta,
 egressus augurali, per occulta & vigilibus ignara,
 comite uno, contactus humeros ferina pelle, adit
 castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fa-
 mâ sui.* Ad quæ commentator Lipsius: *Quare
 ferina pelle? ut habitum mentiretur Germani, cre-
 do, qui plerumque pelliti. Germani autem multi non
 in castris solùm, sed, ut opinor, inter ejus custodes.*
 Inter *σωμφοφύλακας* eo fuisse tempore Germa-
 nos, vix est ut integrum sit opinari. Nam &
 bellum cum eo populo gerebat acerrimum
 Germanicus (intutū verò, popularibus hostium
 imperatorium credi corpus) & ante annos haud
 ampliùs octo Germanos, ob cladem Varia-
 nam, dimiserat ipse corpore custodes Augu-
 stus. Tranquillum ad cap. XLIX. Sed in ca-
 stris erat utique Germanus, & ipsissimus her-
 cule Caucus erat, in commilitii decus adscitus:
 ut, in expeditionibus Romanis, ex primo pari-
 ter ac secundo dicemus Annali. De capillitio
 Germanorum Juvenalis:

*Cœrula quis stupuit Germani lumina, flavam
 Casariam, & madidos torquentē in cornua cirros.*

Sic

Sic enim legit Illustris Salmasius, in Epistola de Coma. Sunt autem cirri deflui crines atque dependuli, sive sparsi sint illi, sive effusi, sive discriminati. Cirros verò non omnis Germania, sed Suevus imprimis atque Sigamber, in cornua torquebat, id est, in vertice nodo substringebat. Unde *Rheni nodos* apud Martialem legimus. Caucasus epitheto cirriferorum donat in primo Lucanus:

Et vos cirriferos bellis arcere Caycos

Oppositi, petitis Romam. —

Si nobilissimo plausum dare Doufæ velimus, corymbia quoque Cauco dedit in Satyrico Petronius Arbiter: *Evocatum me non minus decoro exornavit capillamento: immò commendatior vultus enituit, quia flaucorum corymbion erat.* Pro verbo *flaucorum*, Romanæ civitatis exsorte, *Chaucorum* reponendum Douza divinabat. Altrinsecus rerum temporumque conferenti faciem, indicabit in primo Saxoniorum libro Witechindus, habuisse *diffusas scapulas casarie* Saxones. Ad victum propero: quo simplici utebatur & obvio Caucasus. Insolitum illi, flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aëris volucrem, saltus non sui carnes, alieni temporis fructum. Insolitum, quod nunc apprime solens, ab extremo orbe violandorum opperiri lenocinia ciborum. Docto sine blanden-

dimentis expellere famem, & dape, quam suum illi mare, sua terra præbuisse, irritata labore jejunia solari. Ergo & piscibus insidiabatur, & feris. Namque victitasse plurimâ ferinâ Germaniam, cum Tacito Senecâque, Pomponius Mela testatur. Et in sexto Commentario Cæsar, omnem Germanorum vitam in venationibus, atque studio consumi rei militaris. Sylvarum creberrimus horror impulit Caucos ad bella facienda feris, sed interiores. Nam proximi fluminibus, aut mari, in pisces armabantur. Plinius: *Fugientes cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Vlvæ & palustri junco funes nectunt, ad prætexenda piscibus retia.* Ceteroquin cavatos ex materia alveos, id est, lintres, in piscationis usum, aliósq; conscendebant: ut ex Velleji libro I I. & Annal. XI. claret. Ac miratur quarundam molem atque magnitudinem cavatarum arborum Plinius. Lib. XVI. cap. XL. *Germaniæ prædones singulis arboribus cavatis navigant, quarum quedam & triginta homines ferunt.* Cauci successor Saxo coriaceis Oceano navibus insultabat: unde sic de eo, carmine VI. Sidonius:

— cui pelle salum sulcare Britannum

Ludus,

Ludus, & affuto glaucum mare findere lembo.

Idem verò Plinius, citati libri cap. xvi. post victum Cauci, Italis ingratum palatis, amplificatore stylo descriptum, quasi stupore defixus, *Et hæ gentes, inquit, si vincantur hodie, à Pop. Rom. servire se dicunt. Ita est profectò, multis Fortuna parcit in pœnam.* Itane profectò est? numquid aspera cum libertate vita post delicatulam est habenda servitutem? Errorem illum hostibus imperatrix Roma precabatur, cum c c x. annis vinci Germaniam, & libertatem ejus acriorem esse Arfacidarum regno, dole-ret. Vitia sua cum armis in devicta transfundi peroptabat. Tencterorum legatus ad Agrippinenses: *Instituta cultúmque patrium resu-mite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus ad-versus subiectos, quàm armis, valent.* Agricola talibus in Britannia consiliis hyemem absum-sit: namque, ut incolæ deliciarum rudes, eó-que bello faciles, quieti & ocio, voluptatibus indulgendo, litarent, hortari privatim eos insti-tuit, adjuvare publicè, ut templa, fora, domus excitarent. Paullatímque deflexum ad delini-menta vitiorum, porticus, & balnea, & convi-viorum elegantiam: *idque apud imperitos huma-nitas vocabatur, cum pars servitutis esset.* Numquid igitur in pœnam Cauco fortuna pepercisset, si nunquam aquilas ei, legionum numina Roma-

narum, ostendisset? Cauco, qui ab aquilis aliquando victus, instituta sibi luxumque victri-
cium haudquaquam passus est affricari. Cauco,
qui, duce Gannasco, lintres suos, atque paupe-
riem, & cum pauperie terrorem intulit opulen-
tæ atque molliculæ Gallorum oræ: *Prædabundus
Gallorum oram maximè vastabat, non ignarus dites
& imbelles esse.* Ann. XI. Non ætate modò Pli-
nii, sed nostra quoque, vera sunt amissa voca-
bula rerum: æstimatione recta severi, frugalésq;
deteriùs interpretantibus inculti sordidique di-
cuntur. At enimverò non nego, barbarum
quiddam incultumque sapuisse Caucum: sed
opus esse Pliniana miseratione, nego. Id enim
rerum conditor egit, ut ad bene vivendum non
magno opus esset apparatu: unaquæque facere
se beatam regio potest, ac levissimum in adven-
titiis est monumentum. Æmula naturæ consue-
tudo, quæ prædura sunt aliis & intoleranda visa,
mitia suis & amica reddit alumniis. Seneca de
Germanis, in libro de Providentia: *Perpetua il-
los hyems, triste cælum premit, malignè solum sterile
sustentat: imbrem culmo aut fronde defendunt, su-
per durata glacie stagna persultant, in alimentum
feras captant. Miseri tibi videntur? nihil miserum
est, quod in naturam consuetudo perduxit. paulatim
enim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt.*

Finis Libri primi.

I O A N -